



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 55. Regis Lusitani Epistola ad Papam circa Synodi confirmationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

ffivitatum observationem negarent, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suis infantibus in Baptismo exhiberent, cadavera defunctorum superstitione quadam impia e sepulcris eruentes igne comburerent, Ordinariorum visitationes, jurisdictionemque detrectarent, atque his, aliisque sacrilegis opinionibus Latinos inficerent, hinc Pius ejusmodi scandalis providere studens, Constitutionem edidit, in qua omnes illorum exemptiones respectu Ordinariorum revocans, cunctos tam laicos, quam cujuscunque generis, aut dignitatis Ecclesiasticos, & Monachos Ordinariis Latinis subjecit in omnibus, quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, animarum curam, hæresumque extirpationem concernerent, reliquis ipsorum Græcorum in divinis celebrandis, aliisque ritibus a Sede Apostolica approbatis, intactis remanentibus.

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

§. LV.

Regis Lusitani epistola ad Papam circa Synodi confirmationem.

Editis hisce decretis summus Pontifex totus in eo erat, ut Concilii Tridentini decreta in variis Regnis, ac ditionibus, ubi Religio Catholica vigebat, reciperentur: inter omnes autem Principi-

*Pallav. c. 9.
n. 19.*

Sæcul XVI
A. C. 1564.

Principes, qui Religionis suæ studio erga hanc Synodum præeminebant, primus erat Sebastianus, qui Joanni tertio Avo suo in Lusitanæ Regno successerat: quamprimum enim hic Princeps confirmationis diploma receperat, mox Pontifici grates singulari affectu repensens summopere illius zelum deprædicabat, pollicitus, quod Synodi dignitatem, sedisque sacræ auctoritatem ardentè tueri, suisque subditis manifestum reddere velit, a se nihil magis cordi haberi, quam quod hujus Sacrosancti Concilii dogmata, ac disciplinæ decreta immota fide, ac integritate defenderentur.

§. LVI.

*Concilium Tridentinum a Venetis
receptum.*

*Fallav. c. 11.
n. 1. Et seq.*

Inter primos quoque, qui hujus Concilii Decreta receperunt, erant Veneti, qui sub sacro solemni in Divi Marci Ecclesia cuncta hæc decreta promulgabant, cunctisque urbium Parochis injungebant, ut illa exacte in usum deduci curarent: in hujus autem tam prompti obsequii præmium summus Pontifex Venetæ Reipublicæ Oratoribus Romæ agentibus dono dedit magnificentum illud Palatium, quod Paulus II, qui huic Reipublicæ olim subjectus erat,